

num in hac numerandi arte ualeas. Præterea tuæ Iu-  
cubrationes testantur, quales p̄gressus in scientia de  
motibus astrorū feceris. Recte ergo facis qui uniuersam  
philosophiam cōplecti studes. Cumq̄ mihi fu-  
eris hortator, ut hos libellos, in quibus artis Arithme-  
ticæ mirifica series & p̄pagatio conspicitur, collige-  
rem & ederem, erit humanitatis tuæ etiam hanc meā  
inscriptionem boni consulere. Possum autē hoc uere  
dicere, me dedisse operam, ut multiplicem numerorū  
doctrinam breuibus regulis & idoneis exemplis cō-  
plecterer, ita ut studiosi etiā sine magistro hanc tracta-  
tionem percipere possent. Quāq̄ autem plurimi  
de Arithmetica libelli extent, & quotidie plures noui  
gignuntur, ego tamen adhuc nullum uidi qui integrā  
artem traderet. Complexus itaq̄ sum non tantum  
Algorithms uulgares, proportionum uarietates,  
progressionum discrimina ac interualla, & reliquas  
rationalium numerorum passiones, Verum etiam  
integram tractationem omnium regularum Cossæ,  
quas Algebrae uocant, & reliquos omnes Algorith-  
mos irrationalium numerorū. Quid autem in uniu-  
uersa hac tractatione effecerim iudicabunt studiosi  
lectores, quibus opto meum laborem esse gratum.  
Bene Vale, Vuitebergæ ferijs Michaelis 1543.

Sequitur Index Ca-  
pitum.